

No. 528. 1484. 17. u. 18. März.

*Der Cleriker Henning Gode, Beauftragter des Abt Cornelius überweist dem Rathe den Besitz der Parochie S. Jacobi und entlässt den Pleban und die Parochianen ihrer geleisteten Eide.*

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto indictione secunda die vero Mercurii decima septima mensis Marcii hora vesperorum vel quasi pontificatus etc. in mei notarii publici testimoniumque infra scriptorum ad id specialiter vocatorum et rogatorum praesentis personaliter constitutus reverendus in Christo pater dominus Cornelius abbas monasterii sancti Jacobi Scottorum Erfurdensis — principalis pro se ipso et eius monasterii nominibus — fecit constituit creavit et solemniter ordinavit suum verum legitimum et indubitatum syndicum et procuratorem actoremque factorem negotiorum suorum infra scriptorum gestorem ac nuntium specialem et generalem — venerabilem virum dominum Henningum Gode artium magistrum in decretis baccalarium clericum Havelbergensem praesentem et onus syndicatus et procurationis huiusmodi in se sponte suscipientem ad ipsius domini constituentis nomine et pro eo omnes et singulos subditos colonos censitas censuales reddituarios et homagiales quotquot sunt ante valvam quae Ransteter thor nuncupatur extra muros opidi Lipezk Merßburgensis diocesis ad praefatum dominum abbatem constituentem et eius monasterium hactenus pertinentes providis viris magistris civium consulibus consulatui et toti communitati dicti opidi Lipezk tamquam suis veris dominis feodi maioribus et superioribus cum omni iure dominio superioritate et proprietate, prout retroactis temporibus ad praefatum abbatem et eius monasterium spectabant, assignandum deputandum demonstrandum exhibendum et remittendum ipsosque et eorum quemlibet subditos colonos et censitas de quibuscunque fidelitatibus infeodationibus et iuramentis per dictos subditos domino abbati et suo monasterio quomodolibet factis et praestitis ex toto absolvendum et quietandum ac ius praesentandi ad ecclesiam sancti Jacobi extra muros praefati opidi Lipezk cum et quotiens eam in antea vacare contigerit unacum universitate subditorum praefatorum in dictos magistris civium consules consulatum et communitatem iure perpetuo et hereditario possidendum et retinendum transfundendum et omni iuri hucusque abbati et suo monasterio competenti renunctiandum etc. Acta fuerunt haec in civitate Numburgensi in domo providi Johannis von Werda civis ibidem praesentibus ibidem ante dicto Johanne von Werda et Blasio Breiting laicis Numburgensis et Merßburgensis diocesium testibus ad hoc vocatis et requisitis.

Insuper eisdem anno indictione mense et pontificatu omnibus quibus supra, die vero Jovis decima octava mensis Marcii mane hora tertiarum vel quasi, providis viris dominis burgimagistris consulibus et consulatu opidi Lipezensis in stuba consulari et eorum loco solitae praesidentiae consulariter ad sonitum campanae ut moris est congregatis et coram eis in mei notarii publici testimoniumque infra scriptorum ad id vocatorum et rogatorum praesentis constitutus personaliter antedictus venerabilis vir dominus et magister Henningus Gode de Havelbergk supradicti reverendi patris domini